

*Comp. iur. Tit. qui test. fac. poss.* Nam dantur itidem testamenta, quae sollemniter in scriptis fiunt, et tamen sunt nuncupatiua. Sit iterum exempli loco testamentum, quod testator, melioris ordinis causa, in chartam antea coniectum, ex hac testibus septem habilibus, ad hunc actum rogatis, praelegit, et coram his vno contextu perficit. Testamentum tale haud dubie est nuncupatiuum, et tamen in scriptis, et quidem sollemniter conditum, adhibitis scilicet sollemnitatibus, quas leges desiderant in testamentis nuncupatiuis. Inquis, non quasuis sollemnitates in ista definitione intelligi, sed sollemnia scripturae. Respondeo, nec haec testamentum scriptum distinguunt a nuncupatiuo. Nam et testamentum in instrumentum redactum, desiderat scripturae sollemnitates, scilicet eas, quae aliis in instrumentis notariorum requiruntur, quo pertinet, quod scribi in his debeat indictio Romana, inuocatio Nominis Diuini, nomen Imperatoris, annusque imperii, annus Christi, mensis, dies, hora, locus generalis et specialis; quo pertinet quoque, quod scriptum instrumentum iterum debeat praelegi, a notario et testibus subscribi et signari. Sicut enim haec singula in omni instrumento requiruntur per *Nou. 47. Cap. I. et R. I. de a. 1512.* ita in specie quoque in instrumento super testamentum confecto necessaria sunt, et tamen hoc non obstante, tale testamentum non scriptum est, sed nuncupatiuum, vt probatum dedimus §. XVI. Instas, in dicta definitione non intelligi quaeuis sollemnia, sed verba ista accipienda esse pro substrata materia, de sollemnibus scilicet testamenti scripti, vt adeo ista definitio ita sit accipienda, vt testamentum scriptum dicatur, quod fit iuxta sollemnitates testamenti scripti. Verum hoc modo accepta definitione parum ista profeceris, quia idem explicat